DE
HORATII CARMINE SÆCULARI
COMMENTATIO.

SCRIPSIT

DR. JOANNES GUILIELMUS STEINER,

SUPERIORUM ORDINUM IN GYMNASIO CRUCENACENSIS PRÆCEPTOR.

CONFLUENTIBUS,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI KEHR.

1841.

De carminis saecularis indole ac virtutibus qui nuper disseruerunt viri doctissimi adeo inter se dissentiunt, ut alii hoc carmen summis ad coelum efferant laudibus, alii idem vate Venusino prorsus indignum esse existiment. *Doeringius* enim carmen saeculare praestantissimis annumeravit carminibus Horatianis; *Mitscherlichius* hoc divinae artis opus in pretiosissimis totius antiquitatis monumentis ponendum esse sibi persuasit; *Braunhardus* denique *splendidissimum* hoc dixisse Horatii carmen non satis habuit, sed quasi divino quodam spiritu inflatus: Quamdiu, inquit, Musis honor suus stabit, tamdiu poetae, digni qui laurea coronetur Apollinari, apud posteros vigebit ars et virtus, laus et memoria! Carmen saeculare componendo Horatius revera exegit monumentum aere perennius! — Contra *Eichstadius*: Vix ullum, inquit, poema legi, Augusteo quidem aevo compositum, in quo tanta inesset ieiunitas sententiarum, tanta compositionis inconcinnitas, quanta celebratissimum illud Horatii carmen saeculare laborare mihi videtur. *Godofredus* autem *Hermannus* hoc carmen aut ab Horatio invitis Camenis conditum, aut a nebulone nescio quo suppositum esse suspicatur.*) — In tanta sententiarum discrepantia fieri non potest, quin cauto homini trita illa succurrant proverbia: *Ne quid nimis! medium tenuere beati!* Quamquam horum reprehensiones minus equidem miror quam illorum praeconia. Etenim quum in his praesertim carminibus amoebaeis veram venustatis atque elegantiae laudem non magis ex singulis verborum ac sententiarum luminibus quam ex iusta totius carminis dispositione omniumque membrorum concinnitate pendere constet, qui hanc neglexerit interpres aut parum perspectam habuerit, is carminis praestantiam rite laudare non poterit. Justam autem carminis saecularis dispositionem, a multis illam quidem desideratam, nemo adhuc eorum, qui hoc opus tantopere admirantur, in medium protulit. *Braunhardus* enim et *Mitscherlichius* alternis cecinisse pueros et puellas, interdum vero iunxisse voces, vel ex ipsa carminis ratione vel ex praecepto Sibyllino colligi posse profitentur; quid autem unicuique hemichorio aut choro toti sit tribuendum, nunc temere quaeri arbitrantur. *Doeringius* vero, qui tres quidem poematis partes distinxerit (vs. 1 — 32; 32 — 60; 60 — 72 adiuncto epilogo vs. 72 — 76), singulas autem suis choris assignare non ausus sit, carminis amoebaei argumentum potius quam dispositionem exhibuisse putandus est. Alii interpretes, qui, quantum carmini et l[illegible] et decoris ex iusta stropharum descriptione accessurum esset, probe intelli[illegible]

*) Censor disputatiunculae Schmelzkopfianae in Jahnii Jahrb. 1838. XXIII. 2. pag. [illegible]

multiplices ad eam inveniendam inierunt rationes. Quorum omnia recensere tentamina quum longum sit nec huic loco accommodatum, praecipua quaedam attigisse satis erit. —

Ac *Vossius* quidem interpretatione sua hanc edidit carminis dispositionem, ut *primam* et *secundam* stropham iuncti canant pueri et puellae,

Str. 3 pueri
4. 5 puellae
6. 7. 8 pueri et puellae
9 priorem partem pueri,
posteriorem puellae

Str. 10. 11. 12. 13 pueri et puellae
14 pueri
15 puellae
16. 17 pueri
18 puellae

19 pueri et puellae.

Eadem ratione carminis partes iam descripserat *Anchersenius* cum Wadio et Mervillio, nisi quod Str. 14 et 15 iuncto puerorum et puellarum choro addixerat. Hac autem dispositione perfectam illam, quam Eichstadius requirebat, omnium membrorum concinnitatem non effici, quis est quin videat? Neque tamen ulla descriptio magis placuisse videtur Orellio, qui unam illam memoratu dignam habuerit. Quamquam nec ea quidem satis placuit subtilis atque elegantis iudicii viro: multa enim huic rationi repugnare censet, atque imprimis quod nona stropha dimidiata non sit eadem totius carminis media. Quod quamvis recte notatum sit, in universum tamen aestimanti magis mihi probatur Vossii descriptio quam quae nuper a *Duentzero* proposita est in commentariis ad Horatii Odas pag. 45. cf. quae infra dicemus ad Str. 16 — 19.

Eduardus Schmelzkopfius, qui ante hos tres annos singularem de carmine saeculari disputatiunculam scripsit, Strophas 1. 2. 9 uni quindecimviro, Str. 16 — 18 omnibus quindecimviris cantandas imposuit; Strophas 3 — 8 et 10 — 15 singulas pueris et puellis per vices cantantibus demandavit; Stropham denique 19 iuncto puerorum et puellarum choro reliquit. In hac descriptione, alioquin laudabili, id iure improbavit Hermannus, quod quindecimviros ille invexit, quos in carminibus saecularibus ipsos cecinisse quum per se non admodum probabile sit, tum nullis veterum auctorum testimoniis confirmatur, nec in ipso carmine Horatiano satis certa ac luculenta eius rei exstant indicia. Accedit quod poeta, si primas carminis strophas quindecimviro iniunxisset, eidem haud dubie extremam detulisset. *Hermannus* igitur, ut afflicto carmini subveniret, ingeniosa quadam audacia ferrum admovit criticum:

οὐ γὰρ ἰατροὶ σοφοὶ
ὀκνεῖν φιλοῦσι πρὸς τομῶντι πήματι.

Quattuor ille resecuit versus 62, 63, 64, 66, eademque sorte stropham 12 dignam esse pronuntiavit; particulam *si* in *qui* mutavit vs. 65; denique strophas 5 et 6 inverso ordine collocavit. Atque his artibus tantum se perfecisse autumat,

ut iam ipsius beneficio carmen habeamus saeculare vulgato illo longe venustius ac nervosius. Aliisne id probare potuerit nescio; mihi quidem vulgati carminis salus non adeo videtur desperanda, ut ad extrema ista remedia decurramus. Quod ne cui temere statuisse videar, hac oblata scribendi occasione quum universam carminis compositionem, tum singulas quasdam partes, ab Hermanno aliisve censoribus inique notatas aut perverse interpretatas, paucis explanare ac defendere conabor. Quodsi meam carminis descriptionem atque interpretationem viris doctis haud displicuisse videro, magnopere sane gaudebo: sin aliter acciderit, non turpe erit, ex ea arena inferiorem discessisse, unde nobilissimi quidam pugnatores nullam retulerint palmam.

Priusquam carminis saecularis compositionem explicare aggrediar, pauca de loco et ordine, quo chori cantantes constituti fuerint, videntur praemittenda. Schmelzkopfius hoc carmen in Capitolino Jovis templo cantatum esse statuit, Acronis et Porphyrionis auctoritatem secutus. Apud me plus valet auctoritas *Zosimi*, quem ab illo tamquam sententiae suae testem laudatum esse miror. Zosimus enim carmina saecularia tertio ludorum die a pueris et puellis in Palatino Apollinis templo cantata esse testatur 2, 5: *Ἡμέρᾳ δὲ τρίτῃ ἐν τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον Ἀπόλλωνος ἱερῷ τρὶς ἐννέα παῖδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων τοσούτων ὕμνους ᾄδουσι καὶ παιᾶνας, δι᾽ ὧν αἱ ὑπὸ Ῥωμαίοις σώζονται πόλεις.* Idem secundo ludorum die nobiles matronas in Capitolium convenisse refert, quae *λιτανεύουσι τὸν θεὸν καὶ ὑμνοῦσιν ὡς θέμις*, ubi *τὸν θεὸν* Jovem dici aequum est. Haec igitur, quae secundo ludorum die a matronis in Jovis templo Capitolino, tertio autem die a pueris et puellis in Apollinis templo Palatino cantata sunt, a Zosimo quidem diligenter distincta, scholiastae illi videntur confudisse. Multo certe convenientius fuit, Horatianum carmen in Apollinis quam in Jovis cantari templo. Toto enim carmine Apollo cum Diana sorore primas partes tenet, ipsique pueri ac puellae cantantes se Phoebi et Dianae chorum vocant vs. 75. Praeter Apollinem et Dianam maxime celebratur Augustus, qui librorum Sibyllinorum monitu ludos saeculares edendos curaverat, carmenque saeculare ex his libris componendum Horatio iniunxerat. Ab Augusto autem templum Apollinis in monte Palatino conditum erat. Quid igitur magis consentaneum fuit, quam ut Augustus et ipse in suo templo celebraretur, et Apollinem, cuius filius a nonnullis existimabatur (Suet. Oct. 94), cuique templum illud omnium carissimum erat (Propert. 2, 23, 10), in eodem coli iuberet? Accedit quod libri Sibyllini, unde omnia pendebant (vs. 5), illo quidem tempore sub Palatini Apollinis basi asservabantur (Sueton. Oct. 31). Denique poeta in ipso carmine templi Capitolini nullam fecit mentionem, *Palatinas* autem *aras* *) commemoravit vs. 65. Quibus ego rationibus

*) Hanc enim scripturam cum Bothio, Jahnio, Meinechio veram esse existimo, non illam, quam Orellius aliique viri docti receperunt, *Palatinas arces*. Utraque scriptura optimorum nititur

adducor, ut carmen saeculare in templo Apollinis Palatino cantatum esse credam. Atque hoc templum ad communes Apollinis et Dianae laudes celebrandas eo aptius videri debet, quod utriusque quasi commune fuit.*) In hoc igitur templo chori cantantes ita constituti erant, ut puellae a pueris essent seiunctae; quod quum ex ipsa carminis amoebaei ratione et poetae verbis (vs. 32 — 36) colligere licet, tum versibus Sibyllinis, quibus Horatius in pangendo carmine tamquam fundamento quodam usus est, praeclare confirmatur:

Χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν,
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς.

Ac Zosimo quidem auctore ter novem erant pueri totidemque puellae: *Τρὶς ἐννέα παῖδες μετὰ παρθένων τοσούτων.* Quo loco ad id attendas velim, quod Zosimus non *ἑπτὰ καὶ εἴκοσι* dixit, sed *τρὶς ἐννέα*, quibus verbis, ni fallor, non uno illos ordine, sed tribus ordinibus constitisse declarabat. Cui quidem coniecturae lux quaedam et fides additur duobus Livii locis, quibus similes memorantur chori:

Lib. 27, 37: »Decrevere pontifices, ut virgines *ter novenae* per urbem euntes carmen canerent, — conditum ab Livio poeta (Andronico).

Lib. 31, 12: decemviri ex libris (Sibyllinis) res divinas imperarunt; carmen praeterea *ab ter novenis* virginibus cani per urbem iusserunt, — quod quidem carmen, sicut patrum memoria Livius, ita tum condidit P. Licinius Tegula.« — Antiquo igitur usu hoc Romanis sancitum fuisse suspicor, ut carmina sacra, a nobilissimis aetatis suae poetis condita, septem et viginti virginibus vel pueris cantanda demandarentur, iisque non una serie sed triplici ordine dispositis, quo numero ternario veteres in rebus divinis libentissime usos esse nemo nescit. Itaque ludis quoque

---

librorum auctoritate (v. Braunhard.); utraque Bentleio iudice tam proba est atque venusta, ut nescias fere, utri priores partes jure sint deferendae, quum praesertim verba *arces* et *aras* saepius a librariis confundantur (v. Forcellin. s. v.). Mihi vero vox *aras*, quam Orellius tenuiorem esse ait, multo sanctior, ut ita dicam, atque augustior videtur quam *arces*. Hoc enim dicit poeta: Si Phoebus aequus ac propitius respicit aras, quas ei Octavianus pius in templo Palatino dedicavit, quibus in aris per hosce dies sacra diis obtulit populus frequens cum sacerdotibus, —. Videmus animo supplices hominum catervas ad aras et pulvinaria considentes, quod ipsum facere jussi erant libris Sibyllinis. — Eandem scripturam ac sententiam interpretatione sua expressit Porphyrio. —

*) Apollinem et Dianam *θεοὺς συννάους καὶ παρέδρους* fuisse constat. cf. *Mitscherlichius* ad Hor. Od. 1, 21, 2; *Spanhemius* ad Callimachi hymn. in Dianam vs. 169: »Apollinis ac Dianae fana et simulacra leguntur saepe iisdem in locis iuncta«; imprimis autem *Welckerus* in Pindaro Boeckhiano Tom. II. part. 2 pag. 453: »Saepe coniuncti fuerunt Apollo, Diana, Latona, ut in templo Troiano (Il. 5, 446), in Delo (cf. Hymn. Hom. in Apoll. 158), et in *templo Palatino* Romae. cf. Propert. 2, 31 (23), 15. Ac sunt etiam opera servata plura, ubi coniuncti reperiuntur. Denique Cirrhae, in Delphorum navali, templum Apollinis, Dianae, Latonae commune memorat Pausanias X, 37, 6.« —

saecularibus septem illos et viginti pueros tribus ordinibus in Palatino Apollinis templo instructos fuisse statuo, totidemque ordinibus septem et viginti puellas ab illis seiunctas. Quo autem modo puellae a pueris fuerint seiunctae, quum variis modis fieri potuerit, pro certo affirmari nequit. Simplicissimum videtur hoc σχῆμα, ut tres puellarum ordines *juxta* tres puerorum ordines constiterint, ita ut aliquantulum spatii vacui inter utrosque interesset:

```
        pueri                         puellae
A. + + + + + + + + +          a. + + + + + + + + +
B. + + + + + + + + +          b. + + + + + + + + +
C. + + + + + + + + +          c. + + + + + + + + +
```

Atque inter hos duos choros carminis saecularis strophas hoc modo distribuendas esse censeo:

Stropha 1 et 2 *proodus*
iuncti pueri et puellae

Str. 3 pueri — 4 puellae
5 pueri — 6 puellae
7 pueri — 8 puellae

Str. 9 *mesodus*
vs. 1 et 2 pueri, 3 et 4 puellae

Str. 10 pueri — 11 puellae
12 pueri — 13 puellae
14 pueri — 15 puellae

Str. 16 — 19 *epodus*
iuncti pueri et puellae.

Minus quidem simplex, sed nescio an et loco et carmini accommodatius videatur alterum schema, quo puellae *exadversus* pueros constitutae fuerint, ita quidem ut non duo sed sex chori essent, inter quos res quaedam, ut simulacra deorum vel arae (vs. 65), mediae interfuerint hunc fere in modum:

```
                   + + +           + + +
novem pueri A.     + + +           + + +   a. novem puellae
                   + + +           + + +
                    □       □       □
                   + + +           + + +
novem pueri B.     + + +           + + +   b. novem puellae
                   + + +           + + +
                    □       □       □
                   + + +           + + +
novem pueri C.     + + +           + + +   c. novem puellae
                   + + +           + + +
```

Inter hos autem sex choros carminis strophas sic distribuerim:

Str. 1 et 2 *proodus*
iuncti pueri et puellae

Str. 3 novem pueri — 4 novem puellae
5 novem pueri — 6 novem puellae
7 novem pueri — 8 novem puellae

Str. 9 *mesodus*
vs. 1 et 2 omnes pueri
3 et 4 omnes puellae

Str 10 novem pueri — 11 novem puellae
12 novem pueri — 13 novem puellae
14 novem pueri — 15 novem puellae

Str. 16 — 19 *epodus*
iuncti pueri et puellae.

Si cui forte nimis artificiose aras ac deorum simulacra choris cantantibus interposuisse videar, nihil equidem moror, quominus spatium vacuum interfuisse credat vel commodiorem aliquam puerorum et puellarum dispositionem ipse sibi fingat, dummodo illam retineat stropharum descriptionem, quam utrique schemati unam eandemque subiunxi. Hanc enim carminis descriptionem, omnium maxime concinnam, ingenio Horatiano dignissimam esse iudico, neque id cuiquam singula diligenter examinanti dubium fore spero. Ac primum quidem poetae ars et prudentia in eo conspicitur quod ille, quum undeviginti stropharum carmen longius esse sentiret, quam quod sine taedio ab iisdem tum puerorum tum puellarum choris nullo discrimine decantaretur, interposita mesodo duas distinxit carminis partes, iisque proodum praemisit, epodum subiecit, a maioribus choris canendas. Inter proodum autem et mesodum sex posuit strophas, totidemque inter mesodum et epodum, ita ut stropha nona, quod in Vossiana descriptione desideravit Orellius, media sit inter duas carminis partes. Ac duodecim illis strophis chori cantantes singulas fere certasque ad Apollinem, Dianam aliaque numina mittunt preces; contra in proodo, mesodo, epodo universe, ut preces illae a diis exaudiantur, optant et sperant: *date quae precamur; audi pueros, audi puellas; Phoebus Romanorum felicitatem,* quam modo et optavimus et laudavimus, *proroget in aevum; Diana votis applicet aures; haec Jovem sentire spem domum reporto.* Ut vero, quae universe enuntientur, ab universo vel certe iuncto choro, ita singulas preces ab singulis puerorum et puellarum choris cantari par est. Singuli autem chori utrum viginti septem pueris et viginti septem puellis (schem. 1), an novem pueris et novem puellis (schem. 2) compositi fuerint, difficile est decernere. Illa enim ratio simplicitate quadam commendatur, haec maiore varietate et concinnitate. Etenim membrorum concinnitas videtur postulare, ut quum proodus et epodus non a singulis, sed ab iunctis choris cantentur, etiam mesodus ab iunctis choris cantata sit; quod ex posteriore quidem schemate factum est, ex priore non item, ubi septem et viginti puellas proxime (Str. 8) cantantes in mesodo (Str. 9) excipiunt septem et viginti pueri, non iuncti chori. Nam quod Duentzerum iunctis omnium puerorum et puellarum choris mesodum assignare videmus id nos quidem ipsis mesodi verbis facere prohibemur, quae eam partim a pueris, partim a puellis relatam esse prodant. Poetam ita quidem excusare possis, ut illum hanc mesodum ab superioribus strophis satis eo distinxisse dicas, quod superiores strophas 27 pueris aut 27 puellis, mesodum omnibus 54 pueris ac puellis, quamvis bipartitis, attribuerit. Sed tamen magis variata et concinna est compositio in altero schemate, ubi quum omnes sex chori carmen exorsi sunt (Str. 1. 2), singulique deinceps novem puerorum et novem puellarum chori singulas sex strophas alternis cecinerunt (3 — 8), iam in mesodo (9) tres puerorum chori, modo disiuncti, in unum colliguntur (vs. 1. 2), itemque tres puellarum (vs. 3. 4); qui quidem chori in altera carminis parte iterum

dirimuntur (Str. 10 — 15), ut postremo cuncti, qui inceperunt carmen, idem concludant (16 — 19). Si quis autem miretur, quod poeta tam exiguos induxerit novem puerorum et puellarum choros, is non maiorem Musarum fuisse chorum meminerit, ad cuius similitudinem chori illi videntur conformati. Neque sex choris et loco et cantu discretis verba Horatiana nimium distrahi concesserim. Etenim sex illi chori totidem sunt eiusdem corporis membra, ut quae unus chorus precatus sit, omnes precatos esse existimemus. Nec vero sex chori, sed potius tria paria dicenda sunt; singulae enim puerorum strophae cum singulis puellarum illos excipientium strophis saepius vel sententia vel constructione ita cohaerent, ut poeta antistrophica quadam responsione utriusque sexus strophas inter se videatur copulasse, quod paribus illis litteris A a, B b, C c significandum duximus (cf. quae infra annotabimus ad Str. 6 et 10). Quamquam idem rursus utrumque sexum eo distinxit, quod res primarias, publicas, viriles pueris fere precandas dedit; secundarias, privatas, muliebres puellis permisit.*) Similiter poeta duas illas carminis partes non solum mesodo interiecta, sed ipso etiam argumento distinguendas ac variandas esse duxit. In priore enim carminis parte chori *naturalia* maxime bona a diis precantur, imprimis hominum, pecorum, agrorum fecunditatem; in altera parte *civilia* magis curant, probos mores, fidem, pudorem, virtutem, quietem et decus omne, quae quidem bona Augusto duce iam aliqua ex parte consecuti sint Romani. In priore parte chori cantantes *Dianam* maxime respiciunt aliaque feminini sexus numina, quae praeter Dianam fecunditati praesint, Tellurem, Cererem, Parcas Lucinae παρέδρους, quas παντογόνους vocat Sibylla (vs. 8); in altera carminis parte subiunctaque epodo (Str. 16) *Apollinis* magis et Augusti rationem habent: namque Apollinis oraculo Troiani casto Aenea ductore lares mutare Italiamque capessere iussi erant (Virg. A. 4, 346); Apollini omnium maxime populi Romani salus atque integritas cordi esse credebatur, quare eundem ante alios deos tutelares invocavit poeta Od. 1, 2, 29. Augustum autem tamquam alterum Apollinem celebrare solet; cf Orelli ad carmen saec. vs. 61 — 64 et ad Od. 1, 2, 32. Aptissime denique in utriusque partis exitu (vs. 32 et 73) Jovem commemoravit, gentis humanae ac Romuleae patrem atque custodem, cui cura magni Caesaris fatis data (Od. 1, 12, 49). Mihi quidem omnia diligenter expendenti poeta carmen saeculare haud vulgari arte videtur composuisse, qui id praesertim non libero, ut ita dicam, ingenii impetu fuderit, sed opus ab aliis sibi iniunctum ita confecerit, ut et librorum Sibyllinorum, et consilii ac voluntatis

---

*) Hanc utriusque sexus manifestam distinctionem, qua amoebaeum fuisse carmen satis apparet, iam indicavit Schmelzkopfius his verbis: »quidquid validiori puerorum ingenio est aptum, pueris, quidquid teneriori puellarum indoli, puellis tribuitur. Hoc non solum ipsa lingua, quae, ubi pueri loquuntur, maiore cum vi, ubi puellae, dulciore quadam profluit oratione, sed etiam sententiis, quibus orationis genus aptissime congruit, confirmatur.« —

Augusti, denique puerorum ac puellarum canentium populique audientis habenda esset ratio. Quae autem Eichstadio, Peerlkampio aliisque viris doctis in perpetuo carmine tenuiora ac languidiora visa sunt, eadem in amoebaeo carmine, a diversis choris enuntiata, aut nullam aut minorem certe offensionem habent. Ceterum quod Schmelzkopfius toto fere carmine saeculari numerum ternarium regnare observavit, ab ingenio illud quidem ac more Horatiano haud alienum (cf. Duentzer. p. 20), utroque schemate nostro egregie confirmatur: tres enim sunt festi dies, tres noctes; ter novem pueri, ter novem puellae; ter singulas preces fundunt pueri in utraque carminis parte, ter puellae; ter, ut preces exaudiantur, precantur chori.

Jam vero, quae universe de carminis saecularis compositione disputavimus, singularum stropharum verbis ac sententiarum nexu comprobanda sunt; qua in re utrum prius illud an posterius schema sequamur, nihil fere interesse patet, quum utrumque, quamvis diversa chori dispositione, eandem tamen exhibeat ipsius carminis structuram. In singulis autem explicandis nonnumquam communem huius poetae consuetudinem illustrandi locus erit, ut, quo singula illa referenda sint, facilius intelligatur.

Str. 1 et 2.

Hoc carminis exordio Apollinem et Dianam ab universo puerorum ac puellarum choro invocari aequum est. Schmelzkopfius quidem has strophas vel propterea quindecimviro suo tribuendas duxit, quod pueri et puellae nequaquam de se *tertia* persona loqui potuerint, quemadmodum factum sit in altera stropha. Sed nec satis verum est, tertia illos persona tali modo uti non potuisse, nec quidquam impedit, quominus *primam* personam in his verbis agnoscamus: Date quae *precamur* tempore sacro, quo Sibyllini monuere versus, virgines *(nos)* lectas puerosque castos dicere carmen. cf. Str. 9.

In prima stropha Hermanno vehementer displicent verba o *colendi semper et culti*, qua deorum laude nihil vulgatius ac tritius aut quod minus poeticum sit cogitari posse censet. Qua in re non assentior viro doctissimo. Namque his verbis significatur divini cultus perpetuitas atque aeternitas, quam in Sole et Luna iure ac merito praedicat chorus, quippe quae numina, omnium maxime conspicua ac salutaria, per omnes fere gentes omniaque saecula celebrata sint. Nec vero idem verbum diversis formis geminatum (*colendi — culti*) languidiorem reddit enuntiationem, sed gravitati sermonis augendae atque actionis diuturnitati declarandae inservit, quae quidem ratio quum aliis poetis, tum Horatio satis est usitata:

Ovid. Metam. 8,350: Phoebe, ait Ampycides, si te *coluique coloque*,
Da mihi, quod petitur, certo contingere telo.
Hor. Od. 2, 13, 20: sed improvisa leti vis *rapuit rapietque* gentes.
Od. 4, 2, 38: quo nihil maius *donavere* divi, nec *dabunt*.
Epist. 1, 1, 1: Prima *dicte* mihi, summa *dicende* Camena. —

In eadem stropha Hermannus id iure reprehendisse ait Peerlkampium, quod poeta duo compellans numina singulari numero usus sit: *lucidum coeli decus*, pro quo dicendum fuerit, *lucida coeli decora*. Sed utrumque recte se habet. Ita Horatius Castorem et Pollucem, quos Od. 1, 3, 2 plurali numero *lucida sidera* appellaverit, eosdem Od. 4, 8, 31 κατὰ σύνθεσιν vocat *clarum sidus*. Ac singulari quidem numero eo minus offendimur, quod cognatum ac geminum fuit et Tyndaridarum et Latoidarum numen. Omnino Horatius synthesin illam amat, qua complures res vel personae singulari numero comprehenduntur, quare ubi plura nomina singulari numero posuit, plerumque subiungit verbum eodem numero singulari, nec umquam collectivis nominibus verbum addidit plurali numero enuntiatum cf. Bentl. ad Od. 1, 24, 8 et Orelli ad Od. 3, 5, 17.

Str. 3 et 4.

In carminis exordio junctus omnium chorus universe dixit: Date quae precamur. Jam singuli chori singulas certasque suscipiunt preces. Ac tertia quidem stropha pueri Apollinem, quarta puellae Dianam ita alloquuntur, ut verba utrique sexui accommodata sint; pueri enim urbis Romae magnitudinem ac potentiam sempiternam precantur, puellae matrum faciles partus. —

Stroph. 4 adverbium *rite* Scholiastes Cruquianus cum adiectivo *maturos* coniunxit, Orelli aptius cum verbo *aperire*, in quo illud adverbium magis quam in adiectivo requiritur. Similiter adverbia a suis verbis distracta reperies Sat. 2, 1, 7 ter — transnanto; Od. 3, 6, 13 paene — delevit; Sat. 1, 5, 72 paene — arsit. *Rite* autem Orellius minus accurate interpretatus est verbis *pro benigno tuo more*, quum idem sit quod *bene*, *prospere*, *facile* (wie es sich gehört: leicht und glücklich), vel quod *molliter* dixit Ovidius loco simillimo Fast. 2, 451:

> Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis
> Maturumque utero molliter aufer onus.

Str. 5 et 6.

Quum quarta stropha puellae Lucinam, ut matres parturientes adjuvaret, precatae sint, quinta stropha pueri hanc precationem excipientes optant ut suboles partu edita, eadem dea adiutrice, laeta capiat incrementa, et aliquando adulta legibus nuptialibus obtemperans novam ex se gignat prolem, ita ut alterius saeculi orbe impleto iidem ludi in Apollinis et Dianae honorem maxima civium frequentia denuo celebrari possint. Hanc alteram sententiae partem, ut secundariam, puellis attribuit poeta Stroph. 6.

Apud Hermannum invenio, *Peerlkampium* quintam stropham spuriam habere, ut quae nihil fere novi afferat, sed languida sit quartae strophae iteratio. Qui ita iudicavit, haud dubie has strophas uni eidemque choro attribuit, verbumque *producere*

nihil aliud significare putavit quam in superiore stropha verba *aperire partus*, denique ad id parum attendit, quod in quinta stropha leges potissimum ac decreta publica divino numini commendantur, quorum in quarta stropha nulla habetur ratio, quoniam illic puellae verba faciunt, hic pueri. Ex nostra vero descriptione atque interpretatione nullam in his strophis inesse tautologiam, non est quod pluribus demonstremus. Verbum *producere* hoc loco eandem vim habet, quam in Od. 2, 13: Ille et nefasto te posuit die, et sacrilega manu *produxit* i. e. curavit ut cresceres atque adolesceres. Recte igitur Vossius: Laß Geschlecht fortblühn! Namque Diana infesta subolem partu editam mature morbis absumere credebatur, benigna ad summam senectutem producere. Cf. Callimachi Hymn. in Dianam vs. 126 et 132.

Godofredo Hermanno quinta stropha non eiicienda quidem videtur, sed ita transponenda ut sexta sit, sexta autem quinta: Dianam enim invocare puellarum esse, non puerorum, quibus illa stropha ex vulgari ordine tribuenda sit. Id equidem recte dictum existimarem, si Horatius totum carmen ita conformasset, ut puellae ubi solae canunt unam Dianam, pueri unum Apollinem vel saltem unos deos, non deas invocarent. Jam vero quum in posteriore carminis parte pueri ubi soli canunt una cum Apolline Dianam compellent, quumque iidem pueri ipso Hermanno auctore Str. 7 Parcas alloquantur deas, haud sane ineptum fuerit, eosdem alloqui Dianam, cui praesertim in priore carminis parte primas concesserit poeta. Atque illa stropharum transpositione tantum abest ut poema Horatianum emendetur, ut sententiarum ordo prorsus conturbetur. Namque Hermannus quintam suam stropham *(certus undenos etc.)* cum tertia stropha, sextam autem *(Diva producas etc.)* cum quarta cohaerere voluit; quam rationem licet ille eo defendi dicat, quod strophae disiunctae (3 et 5, 4 et 6) ab eodem aut puerorum aut puellarum choro cantatae sint, tota tamen carminis compositio falsam esse clamat, ex qua singulas quidem strophas cum stropha proxime praegressa, non vero cum alia quadam stropha superiore ab Horatio connexas esse facile apparet. Multo autem aptius ex vulgari ordine pueri, non puellae decretorum ac legum publicarnm mentionem faciunt; multo aptius verba *certus undenos — frequentes* cum quinta stropha quam cum tertia coniuncta sunt, quum civium frequentia ex lege novae prolis feraci redundet, multo denique aptius ludi altero saeculo futuri in extrema quam in media ad Apollinem et Dianam precatione (str. 3 — 7) commemorantur, quibus diis quum primariae in ludis saecularibus partes obvenissent, priusquam ad Parcas et Tellurem preces mitteret chorus, futuram ludorum celebrationem commendatam esse voluit. Quodsi quis, Hermanni auctoritatem secutus, Dianam a pueris invocari ineptum esse crediderit, is potius pro *Diva* scribat *Dive*, quo eodem nomine Apollinem allocutus est poeta Od. 4, 6, 1; eiusque coniecturae patronum, si placet, adsciscat Scholiasten Cruquianum, qui Str. 7 haec adspersit; »invocat Parcas post *Apollinem*.« Mihi vero nullis ludis coniecturalibus videtur opus esse.

Sexta stropha ut quintae arcte iungi, ita ab ea plane disiungi potest, quum ut particula in votis etiam absolute posita reperiatur. cf Hor. Sat. 2, 1, 43 et Catull. de coma Berenices vs. 48. Ac plures quidem huius carminis strophas haud inepte ita finxit poeta, ut singulis strophis sua esset sententia, quo singulis choris attribui possent; easdemque, quo unum efficeretur carmen, ita inter se copulavit, ut multis inde interpretibus carmen visum sit perpetuum, ab omnibus pueris et puellis uno tenore decantatum. Consulto autem adiectivum *frequentes* in extrema stropha collocavit. Illas enim voces, in quibus maxima vis posita sit, aut primum aut extremum enuntiationis vel versiculi locum tenere consentaneum est (cf. vs. 66 *felix*). Nam quod primo loco ponitur, statim in oculos animumque incurrit; quod extremo collocatur, menti ac memoriae recens inhaeret, praesertim quum inopinatum subiicitur. Utrumque saepe coniunxit Horatius, elegantis verborum positurae egregius artifex:

Epist. 1, 1, 25 *aeque* pauperibus prodest, locupletibus *aeque*: cf. Od. 3, 7, 26 et 27.

Sat. 1, 3, 2 ut numquam inducant animum cantare *rogati*,
Iniussi numquam desistant.

Cf. Od. 2, 10, 15 et 17 *reducit* — *summovet*; 3, 19, 3 et 8 *narras* — *taces*; 4, 9, 17 et 24 *primusve* — *primus*; ubi recte Orellius: »multa cum gravitate repetit in fine verbum, quo sententiam inceperat.« *) —

Str. 7 et 8.

Precibus ad Apollinem et Dianam rite perpetratis poeta novas subiunxit ad Parcas et Tellurem, quarum ut ratio haberetur praescripserant versus Sibyllini.

---

*) Imprimis autem Horatius verborum vim hoc modo intendere solet, ut vocem in eo ponat loco, qui et primus sit versiculi et extremus enuntiationis, quam quidem collocationem saepe iam apud Homerum inveneris, maxime in membrorum oppositione, ut Odyss. 6, 283 ἄλλοθεν, Il. 7, 30 σήμερον,

Hor. Od. 1, 3, 12 qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus. cf. Od. 1, 7, 17 *perpetuos*; 2, 16, 18 *multa*; 4, 9, 26 *multi*.

Od. 2, 9, 4 non mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque.

Od. 1, 34, 7 igni corusco nubila dividens
Plerumque.

Hoc loco omnes fere ante Baxterum interpretes adverbium *plerumque* falso ad sequentia traxerunt. Lessingius vero, quamvis Baxteri veterumque scholiastarum rationem probet, hanc tamen adverbiorum positoram Horatio insolitam esse existimat. At idem illud adverbium eodem modo collocatum videmus Epist. 2, 2, 84 statua taciturnius exit *Plerumque*. cf. Od. 1, 31, 15 *impune*; 3, 7, 21 et 3, 13, 6 *frustra*, quemadmodum apud Homerum μάψ et μαψιδίως saepe leguntur in principio versiculi. cf. Il. 5, 759; Od. 17, 451.

Praeterea Parcis cum Apolline societas quaedam ac necessitudo intercedebat; quod iam annotavit Scholiastes Cruquianus: »invocat Parcas post Apollinem, quia Apollo fatis praeest, unde et sortilegus dicitur.« Nec minus Dianae congruit Tellus, quum utraque fecunditatis ac fertilitatis sit antistes, quamobrem poeta Od. 4, 6, 39 Dianam dicit *prosperam frugum*. cf. Spanhem. ad Callimachi hymn. in Dianam vs. 130. Fecunditas vero quum muliebris sexus propria sit, haec stropha octava puellis assignata est, septima pueris, quos imperii Romani prosperitatem ac perpetuitatem a Parcis precari decet. Oraculo autem Romanis erat praedictum, quamdiu ludos saeculares rite essent celebraturi, salvum fore ipsorum imperium. cf. Zosimus 2, 5 et 6. Itaque stropha septima cum sexta hoc modo videtur cohaerere: Si nos Romani quod oraculum iussit servamus, vos quoque Parcae, siquidem veridicae estis deae, illud servate quod idem oraculum promisit, quodque firmum ac ratum sit precamur: praesenti felicitati futuram ac perpetuam adiungite.

Bentleius et Orellius verba *quod semel etc.* minus recte ad infinitivum praecedentem retulerunt, quum ad extremum colon *bona iam peractis iungite fata* pertineant, cuius pervulgatae constructionis exempla congessit Lambinus. Hermannus scripturam *quod semel dictum, stabilisque rerum terminus servet* ab Iahnio iure receptam esse iudicat, ita ut post *dictum* intelligatur coniunctivus *sit*. At Iahnius in meo quidem exemplari (Lips. 1827) aliam exhibuit scripturam plurimorum atque optimorum codicum auctoritate confirmatam: »quod semel dictum *est*, stabilisque rerum terminus servet.« Hermannus verbum *est* vel propterea exterminandum censet, quod *est stabilis* durum ac difficile sit pronuntiatu, praesertim in cantando; contra Orellius ob eam ipsam causam hanc scripturam molliori a poeta praelatam esse putat, quoniam hoc loco firmitatis notio etiam sono exprimenda fuerit. Mea quidem sententia hi viri doctissimi nimium sono auribusque tribuerunt, quod idem

---

Huc referendum duco locum illum varie tentatum Od. 2, 20, 7:

Non ego, quem vocas
Dilecte, —

i. e. quem soles appellare *dilecte Horati* (mein Lieber!). Hanc *Acronis* interpretationem nuper comprobavit *Jahnius*, cuius ego auctoritatem libentissime sequor. Nam quod Orellius verba illa contra ipsius metri rationem distrahi dixit, non insolentior videtur distractio quam Od. 1, 34, 7 aut 3, 7, 32:

Et te saepe vocanti
Duram —

Ut hic *duram*, ita illic *dilecte*, ut vocis potestatem augeret, in proximi versus initio collocavit. Quodsi cum Orellio vocativum *dilecte* (Maecenas) a superiore versu commate seiunxeris, verba *quem vocas* mirum quam languida ac ieiuna sunt, idque eo magis offendit, quod anaphora usus est poeta, quae gradationem postulat: »*non ego* pauperum sanguis parentum, *non ego*, quem — vocas!«

Orellio saepius accidisse videmus.*) Qua in re eo maior adhibenda est cautio, quo magis nostra latinarum vocum pronuntiatio nostrumque aurium iudicium ab Romanis videtur discrepare. cf. quae in grammatica sua § 470 verissime monuit *Carolus Reisigius*, praeceptor mihi quondam carissimus, cui post *Augustum Boeckhium*, omnium optime de me meritum, in antiquarum litterarum studiis plurimum debeo.

Str. 9.

Nonae strophae haec adscripsit Schmelzkopfius: »Quae insunt in hac stropha sententiae ad pueros et puellas non poterunt ita referri, ut priores versus a pueris,

---

*) Hoc loco vocum quam dicunt duritatem aliquantum eo leniri sentio, quod verbum est non in eodem positum est enuntiationis membro quo adiectivum *stabilis*, sed commate ab hoc seiungendum. Ceterum quod Orellium nimium fere *sono* tribuere dixi, aliquot saltem exemplis videtur demonstrandum. Orellius igitur ad Od. 1, 6, 15 haec annotavit: »Qui mirati sunt, Merionen potissimum inter Achillem (Martem?) et Diomedem memorari, non cogitarunt, nomen *sonorum* consulto delectum esse a poeta.« — At profecto non erat quod illi mirarentur, quum Meriones pari modo cum Diomede coniunctus reperiatur Od. 1, 15, 26 idemque apud Euripidem Iphig. Aul. vs. 201 medium teneat locum inter Diomedem et Ulixen, Ἄρεος ὄζος dictus, θαῦμα βροτοῖσιν, ab Homero autem, Marti identidem comparatus, novem illis viris post Achillem fortissimis annumeretur Il. 7, 166; 8, 264. cf. 13, 275. Fortitudinis igitur, non sonori nominis rationem habuit Horatius, qui quidem, si Meriones parum huic loco convenire visus esset, alia facile heroum nomina haud minus sonora invenire poterat.

Alterum euphoniae Orellianae exemplum exstat Od. 3, 12, 11 *celer alto*. — »Hanc, inquit, scripturam alteri *celer arto* praetuli et propter analogiam Il. 5. 415 (555?) βαθείῃ ὕλῃ, Lucret. 5, 42 silvae profundae, et propter *sonum*: nam ingratus est in tam molli carmine concursus syllabarum *er ar*«. — Verum scripturam *celer arto* non minus tuetur analogia Od. 19, 439 ἐν λόχμῃ πυκινῇ κατέκειτο μέγας σῦς, quem locum nostro commode comparavit Bentleius, Liv. 9, 2 saltum artiorem, Senec. Oedip. 277 artis obsitum dumis iter; concursus autem illarum syllabarum saepius conspicitur apud eundem Horatium, ut Od. 4. 9, 3 per artes, 4, 1, 15 puer artium. Iam vero, quum utraque scriptura pari optimorum librorum auctoritate nitatur (v. Braunhard.), et voces *alto* et *arto* sexcenties a librariis inter se commutentur (v. Forcellini), utra vera sit scriptura nisi ipsius rei natura ac sententiarum nexu diiudicari nequit. At vix opus est quaerere, num aper tutius ac frequentius in arto lateat an in alto fruticeto: illud enim ad latendum natura factum; hoc ne densum quidem sit necesse est. Accedit quod *artum* fruticetum rectius opponitur superioribus verbis *per apertum*. Denique minus est verisimile, ut grammaticus pro planissimo atque usitatissimo adiectivo *altum* hoc quidem loco invexerit *artum*. —

Non magis mihi probatur Orellii iudicium Od. 1, 27, 10: »Frater, inquit, ficta est persona ut ipsa Megilla Opuntia, in qua ita a patria denominanda rursus gratum sonum secutus est, per quem omnes vocales sine littera canina resonant. — At cur idem poeta, si quidem litteram caninam tam anxie devitabat, Od. 3, 12, 6 finxit nomen *Liparaei nitor Hebri*? nam ficta esse pleraque eius generis nomina facile concedo Orellio; sed quod idem semel et saepius monuit (Od. 2, 4; 3, 7; 3, 11 etc.), ipsas res ac personas amatorias ab Horatio fictas esse, id a meo quidem sensu atque iudicio longe abhorret. Namque Horatius haec poemata amatoria, quae in dulcissimis ipsius carminibus ponenda sunt, omnia fere tam vivide expressit, ut ipsam naturam ac veritatem spirent, quam dissimulare nec ipsius animo aperto ac candido, nec moribus illa aetate liberioribus consentaneum erat.

a puellis posteriores putemus cantatos. Desideramus veras preces; desideramus ipsorum puerorum et puellarum mentionem; nam neque pueri neque puellae tertia de se persona loqui debent. Est dictio tam generalis, ut facere non possimus, quin verba a sacerdote (quindecimviro) cantata arbitremur.» — Haec omnia facile refutari posse existimo. Ac primum pueri et puellae haud inepte de se loquuntur idque non tertia, sed prima persona, quum *audi pueros* idem sit quod *audi nos pueros* cf. quae supra diximus ad Str. 1 et 2. Nec vero preces in his verbis desiderantur; in superioribus enim strophis illae insunt prees, quae ut ne irritae fuerint sed a diis exaudiantur, nona stropha optant pueri et puellae; itaque generalis dictio sit necesse est, ut quae generaliter ad omnia quae antecesserint sit referenda. Mittamus igitur Quindecimvirum Schmelzkopfianum et cum Godofredo Hermanno aliisque subacti iudicii viris priores huius strophae versus ab omnibus pueris, posteriores ab omnibus puellis cantatos esse arbitremur. Ceterum nona stropha, quum generaliter ad omnia superiora pertineat, eadem tamen a poeta, qui carminis partes arcte inter se cohaerere vellet, proximae illi strophae (8) scite annexa est epithetis *condito telo* et *siderum regina bicornis*. Namque telo ex pharetra deprompto Phoebus pestem ac calamitates, imprimis pecori, immittere ferebatur cf. Hom. Il. 1, 50 etc.; Luna autem lucido suo sidere alternisque cornuum vicibus ad terrae fertilitatem, coelique temperiem ac salubritatem plurimum valere credebatur: cf. *Acro* ad Stroph. 4. —

Jam ad alteram accedamus carminis partem, de qua Schmelzkopfius haec est praefatus: «Videbimus per totam hanc alteram proprii carminis partem singulas strophas singulis primae partis quodammodo respondentes, qua in re maxima spectatur ars poetica.» — Mihi vero talis responsio nec necessaria nec satis manifesta videtur: quis enim, ut hoc unum proponam, stropham undecimam quartae respondere sibi persuaserit? In eo tamen alterius partis conformatio concinit cum priore, quod in utraque parte quattuor primae strophae preces exhibent ad Apollinem et Dianam missas, quibus binae aliae strophae subiiciuntur.

Str. 10 et 11.

Recte Orellius, Duentzero frustra obstrepente, has duas strophas non punctis, sed colis inclusit, quippe quas poeta, ne mesodo interposita carminis partes dilaberentur, et ad priora et ad posteriora voluerit referri hoc modo: 1) Audite nos, Apollo et Luna, Roma si vestra est urbs. 2) Roma si vestra est, Dii, probos mores et quietem date Romanis. Itaque harum stropharum sententia usque ad vs. 45 et absoluta videtur quum superiora respicimus, et imperfecta quum inferiora spectamus. Ac singulas strophas 10 et 11 ita conformavit poeta, ut, quo diversis choris adscribi possent, sua utrique esset sententia; nam str. 10 puerorum ore urbs Roma celebratur condita olim a turmis Troianis Phoebi iussu in Italiam

traiectis; str. 11 inducuntur puellae castum Aeneam laudantes. Simili ratione poeta

Str. 12 et 13

quae ad universum populum pertinerent pueris assignavit, quae ad unum virum egregium puellis, quas vel maxime decet celebrare et Aeneae castitatem et Augusti victoris lenitatem (cf. Od. 3, 4, 41 et Velleius 2, 86). Ac stropham 12 tantum abest ut cum Hermanno pessimam aut ab interpolatore quodam intrusam esse existimem, ut eam hoc loco maxime necessariam ducam (cf. quae dicemus ad str. 14 et 15), eandemque huius poetae ingenio unice convenientem, qui nihil antiquius habebat quam ut probos mores iuventuti Romanae commendaret, eosque Augusto auctore revocatos esse praedicaret. Cf. Od. 3, 2; 3, 6; 3, 24; 4, 5; 4, 15 etc. — Str. 13 scriptura *quaeque — impetret*, quam optimi codices Orelliani praebent, alteri scripturae *quique — imperet* vel eo nomine praeferenda est, quod preces ad Apollinem et Dianam factas (Str. 10 — 14) generali quadam sententia concludi convenit, qua omnia quae precanda sint comprehendantur.

Str. 14 et 15.

Singulis precationibus ad deos peractis praeclara adiungitur laudatio Caesaris Augusti, ludorum saecularium auctoris, quem callide poeta stroph. 13 monstravit potius quam nominavit, ut scholiastes ambigat, utrum illo loco unus Augustus, an omnes Romani sint intelligendi. Quae igitur chori antea a diis immortalibus precati sint: probos mores, quietem, rerum amplitudinem et copiam, ea populum Romanum Augusto principe iam aliqua ex parte consecutum esse profitentur. Cf. Od. 4, 5, 17 — 25. Vides haec verba (str. 14 et 15) quum ad omnes preces superiores, tum praecipue ad stropham 12 spectare, quam vel ob eam causam non debebat expellere Hermannus. Caute autem Horatius, ne nihil a diis precandum superesse videretur, usus est verbis: *redire audet* Pax, Fides, Virtus, quae quidem civitate expulsae atque in exsilium eiectae videbantur, donec ab Augusto reducerentur, *apparetque* beata Copia; his enim verbis inchoata magis quam absoluta significatur civitatis salus ac felicitas. Idem prudenter has strophas ita dispertivit, ut Romanorum potentiam hostesque et terra et mari devictos commemorarent pueri, Pacem Pudoremque revocatum puellae. Pacatum autem et quietum iam esse terrarum orbem quum verbis tum numeris lenioribus egregie declaravit poeta, qui in duabus his strophis quinquies molli caesura trochaica usus sit. Eiusdem caesurae in primo odarum libro sex exempla reperies, in altero unum exemplum, in tertio nullum, ut mirum sit, quod quarti libri tria carmina sapphica (2. 6. 11.) viginti duas exhibent caesuras trochaicas, unumque carmen saeculare undeviginti. Quae quidem numerorum dissimilitudo non tam ab diversa argumenti ratione

(*Duentzer* p. 31) quam inde repetenda videtur, quod poeta, quo tempore carmen saeculare atque illa quarti libri poemata condidit, aetate iam maturus quum in vita tum in versibus mitiora ac placidiora amare coepit:

leniit albescens animos numerosque capillus (Od. 3, 14, 25.).

Str. 16 — 19.

In proodo chorus cecinit: Date quae precamur, Phoebe et Diana. In mesodo eandem sententiam iteravit: Audite nostras preces, Apollo et Luna. Denique in epodo universus chorus hanc sententiam ita repetit, ut non iam numina ipsa alloquatur, sed ad populum, ni fallor, conversus tertia persona dicat: Phoebus et Diana quum Quindecimvirum pias preces, quas illi in sacrificando pro imperii incolumitate susceperunt (v. Zosimus 2, 5), tum nostra quae modo nuncupavimus vota benigne curent. Postremo omnibus precibus rite perfectis idem chorus iam domum discessurus se certam spem habere profitetur, fore ut Juppiter, summus rerum humanarum moderator, cunctique dii *) quae chorus precatus sit rata esse velint. Itaque non erat quod tertia illa persona offenderentur Schmelzkopfius et Hermannus, qui praesertim eandem admisissent Stroph. 8: Fertilis Tellus *donet*.

Schmelzkopfius strophas 16. 17. 18, nisi a quindecimviris cantentur, languidas ac supervacaneas esse ait, quoniam his strophis nova sententia carmini adhibeatur nulla, sed de diis, de quibus separatim sat multa sint dicta, ita agatur generaliter, ut omnes carminis nervi torpescant atque consenescant. Ab hoc non multum discrepat Hermanni iudicium, qui duas strophas 16 et 17 in hanc unam contraxit:

Augur et fulgente decorus arcu,
Qui Palatinas videt aequus arces,
Alterum in lustrum meliusque semper
Prorogat aevum.

Nos vero tres illas strophas, ab iunctis quidem pueris puellisque decantatas, nequaquam inanes aut supervacaneas habemus. Etenim strophis 14 et 15 carmen saeculare concludi non potuit, quia ut primas ita extremas carminis strophas piam precationem continere, nec a singulis chori partibus, sed ab universo choro referri convenit. Sola autem stropha 19 tenuior esset tanti carminis conclusio, neque huius strophae verba, quae ad superiores preces ab Jove exaudiendas spectent, satis commode cum proximis strophis 14 et 15 cohaererent, in quibus nullae sint preces. Etsi autem poeta strophis 16. 17. 18 consulto nullas edidit singulas novasque preces, quippe quas superiore carmine iam absolvisset, tamen, ne languidior esset oratio, generali precationi nova quaedam inseruit, quae Schmelzkopfius parum videtur attendisse. Etenim poeta quum Apollinem nullis adhuc extu-

---

*) Cf. Nitzsch ad Hom. Odyss. IX, 479.

lexit laudibus, nisi quod ipsum lucidum coeli decus dixit, qui curru nitido diem promat et celet *), iam eundem deum celebrat tamquam augurem, Musarum praesidem, salutaris artis parentem: qui mos est hymnologorum, ut numinum celebrandorum accumulent laudes cf. Callimachi hymn. in Apollinem vs. 42 — 46 ibique Spanhem. — Idem quum reliquo carmine nullas commemoraverit aedes sacras, in quibus per dies illos festos Apollini et Dianae habiti sint honores, commode his strophis Palatinas laudat Apollinis aras templumque Dianae Aventinum, quo in templo, ut Acronis verbis utar, quindecimviri erant deputati, tam ad responsa captanda, quam sacrificia offerenda cf. vs. 70 et Zosim. 2, 5. Quum autem Palatinum templum laudavit, non solum locum, quo carmen saeculare cantatum est, designavit, sed Augustum etiam honoravit templi conditorem. Quis igitur est, cui Schmelzkopfius persuadeat, has strophas (16. 17. 18) a pueris puellisque cantatas inanes esse ac supervacaneas? Nec magis verum est, quod idem notavit, nullum inter has et proximas strophas sententiarum esse nexum. Etenim quum proximis strophis (14. 15) a singulis choris praesens descripta sit populi Romani conditio atque felicitas, iam universus chorus hoc modo pergit: Phoebus, si propitius nos respicit, imperii nostri quam modo praedicavimus felicitatem non solum Augusto principe integram servet, sed eandem perpetuam esse et magis magisque augeri velit. Quae sententia Schmelzkopfio non languidissima, sed, ab universo quidem choro enuntiata, extremo carmini convenientissima videri debebat.

Stroph. 17. Hermannus adiectivum *felix* a poeta perverse ita collocatum esse ait, ut in triplicem huius vocis interpretationem inciderint viri docti. Ista vero virorum doctorum culpa est, non Horatii, qui profecto praevidere non potuit, fore aliquando qui illud adiectivum a suo subtantivo *(Latium)* iuxta apposito divellerent et ad alium versum traherent. Aptissime autem Horatius adiectivum *felix*, quum hoc loco cum vi quadam dictum sit, in extremo versu collocavit: *Latium felix proroget etc.* i. e. Latii imperiique Romani *felicitatem* extendat in proximum lustrum, atque adeo in tempus infinitum meliusque semper futurum. Cf. quae de verborum collocatione exposuimus ad stroph. 6.

Coniunctivos *proroget — curet — applicet* ab Hermanno repudiatos equidem cum Jahnio atque Orellio recipiendos duco. Recte enim Orellius: »per se manifestum est, carminis rursus fini unice convenire precationes vere religiosas, non nimiam illam indicativorum confidentiam.« — Nec vero poeta, si nullae proxime praecessissent precationes, extremam stropham satis apte exorsus esset his verbis: *Haec* (quae modo precati sumus) *Jovem sentire* spem domum reporto. Atque etiam veteres scholiastas ante oculos habuisse coniunctivum *proroget*, ex ipsorum interpretationibus intelligas.

*) Reisig. Gramm. § 185.

Stroph. 18 voce *puerorum* et pueros et puellas significari, cum Orellio recte statuit Duentzerus. Qua quidem significatione nostra carminis descriptio comprobatur (iunctum enim chorum communi se verbo *pueros* dicere consentaneum est), Duentzeri descriptio refutatur, qui stropham 16 pueris assignavit, str. 17 iuncto choro, str. 18 puellis, str. 19 iuncto choro. In puellarum enim ore, quibus ille stropham 18 attribuit, verbum *pueri* non utrumque sexum, sed solos mares indicaret. Praeterea huic descriptioni illud mihi videtur obstare, quod stropha 16, quae per se nullam efficiat sententiam, a stropha 17 disiungi non potest, certe non ita disiungi, ut hemichorium sententiam inchoet, iunctus chorus eandem absolvat.

Str. 19 in codice Barthii pro genitivo *Phoebi* dativus extat *Phoebo* (cf. Bentl.) vel ideo reiiciendus, ut ne illa pereat *Syllepsis*, quae quum breviorem ac nervosiorem reddat orationem vehementer placuit Horatio. Syllepsin autem dico, quam nonnulli attractionem vocant vel structuram *ἀπὸ κοινοῦ*, qua una vox ad duo enuntiationis verba aut cola refertur, ita ut semel illa ponatur, bis cogitetur. Quam quidem breviloquentiam quum in duobus aliis huius carminis versibus multisque praeterea locis Horatianis parum videantur curasse interpretes, paucis illustrare iuvat.

Ac primum syllepsis genus est, quum unum *substantivum* ad duas eiusdem enuntiationis voces pertinet, ut hoc loco genitivus *Phoebi* ad voc. *chorus* et *laudes*, ubi plena oratione dicendum erat: doctus Phoebi chorus laudes dicere Phoebi. Cf. Tacit. Hist. 1, 64 ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos *imperii* admonuisset i. e. imperii oblitos Batavos imperii admonuisset. Aliud genitivi exemplum est Od. 2, 6, 7 sit modus lasso *maris militiaeque* i. e. sit modus (finis) maris militiaeque (mihi) lasso maris militiaeque; ubi Orellius: »hic quoque locus ex iis est, ubi per attractionem duplex locum habet constructio.« Eiusdem vero attractionis immemor fuit vir doctissimus Od. 3, 1, 21, quo loco genitivum *agrestium virorum*, renitente verborum positura ac versiculi caesura, a vocibus *somnus lenis* divellit unique substantivo *domos* adiunxit. (Cf. *Porphyrio*.)

Od. 2, 17, 23 dativus per syllepsin explicandus: »te Jovis *impio* tutela *Saturno* refulgens eripuit« i. e. Saturno refulgens (contrario fulgore repugnans) eripuit Saturno.

Od. 3, 23, 15 accusativus *parvos deos* ad verba *tentare* et *coronantem* revocandus. Cf. *Acro*.

Ablativum haud raro reperies duabus vocibus communem:

Od. 4, 6, 7 Dardanas turres quateret *tremenda cuspide* pugnax i. e. turres cuspide quateret pugnax cuspide. Etsi enim et hoc loco et aliis locis substantivum bis positum paulo gravius parumque elegans fuerit, animo tamen et cogitatione ablativus *cuspide* non solum (quod Orellius voluit) ad verbum *pugnax*

referendus est, sed etiam ad verbum *quateret*, quam ob causam medius inter utramque videtur interpositus.

Od. 3, 4, 50 fidens iuventus horrida *brachiis*; ubi Orellius ablativum *brachiis* a proximo adiectivo violenter distractum uni verbo *fidens* coniunxit.

Od. 2, 11, 12 quid *aeternis* minorem consiliis animum fatigas i. e. quid aeternis consiliis fatigas animum minorem aeternis consiliis.

Alterum syllepsis genus est quum unum *adiectivum* ad duo substantiva referendum:

Od. 2, 8, 3 dente si nigro fieres *vel uno* turpior ungui; quem locum Mitscherlichius recte interpretatus est his verbis: si vel unus dens tibi nigresceret, si vel in uno ungui macula quaepiam seu nota appareret.

Carm. saecul. vs. 31: Nutriant fetus et aquae *salubres*
Et Jovis aurae.

Recte Porphyrio: salubres non tantum aquae, verum etiam aurae. Contra Orellius *salubres* commate seiunxit a voce *aquae*. «Nisi *salubres*, inquit, iungas cum *auris*, hoc ultimum colon *et Jovis aurae* nimis tenue evadit: atque omnino *aquae salubres* pro imbribus non nimiis neque propterea noxiis mire dictum videtur.» — Nos vero ultimi coli quam dicit tenuitatem facile devitamus, quum *salubres* per syllepsin ad utrumque enuntiationis colon referimus. *Salubres* autem *aquae* recte dicuntur *pluviae**), quae opportuno tempore irrigent agros sitientes (heilsamer Regen).

Carm. saecul. vs. 55: Iam Scythae responsa petunt *superbi*
Nuper et Indi.

Mitscherlichius verba *et Indi* commate separavit a superioribus; item Orellius adiectivum *superbi* unis Scythis iunxit. Contra Torrentius. «Mallem *superbi nuper et Indi*; fortes enim et simplices Scythae, imbelles et arrogantes Indi.» — Tu vero epitheton *superbi nuper* et Scythis et Indis iunge, vel propter verborum collocationem, vel propterea quod *et Indi* nullo adiecto epitheto tenuior est strophae exitus, quam quidem tenuitatem quum in versu 32 notasset Orellius hoc loco non debebat admittere. Scythae autem nuper superbi fuerant propter fortitudinem suam (Od. 2, 11, 1 bellicosus Scythes), Indi propter opes (3, 24, 2 thesauris divitis Indiae), utrique quod regionum, quas incolebant, situ ac natura freti nihil sibi ab

---

*) Substantivo *pluvia* omnino abstinuisse videtur Horatius, qui eius loco ponat *imber*, *aqua*, *aqua coelestis*. Cf. Od. 3, 1, 30; 3, 17, 12; 3, 10, 19; quemadmodum etiam apud Livium legimus *coelestes defuerunt aquae* lib. 4 cap. 30, cuius uberiore narratione, quantum interdum in illis regionibus aquarum defectu laboratum sit, manifesto apparet, ut chorum nostrum a diis opportunas precari aquas minime sit mirandum. Eadem precatio commemoratur Epist. 2, 1, 135 *chorus* (puerorum et puellarum)
Coelestes implorat aquas docta prece blandus,
Avertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.

Romanis, quos vixdum audita cognoverant, timendum esse putaverant. Cf. Eutrop. 7, 10 et quos ibi laudavit Tzschuckius *).

Tertia syllepsis est *pronominis*:

Od. 3, 8, 19 Medus infestus *sibi* luctuosis
Dissidet armis

i. e. Medus, sibi infestus, dissidet armis sibi luctuosis (cf. 3, 29, 28 Tanaisque discors); de quo loco nuper fusius disputavit Guilielmus Dillenburger in Quaest. Horat. I. p. 25.

Quarta syllepsis est *adverbii*:

Od. 3, 10, 10 ne currente *retro* funis eat rota. Recte Orellius: »ne retro currente rota etiam funis eat retro; nam simpliciter *funem ire* pro *retro ire* vix dicere poterat.« —

Od. 1, 3, 32 semotique *prius* tarda necessitas
Leti corripuit gradum

i. e. necessitas prius tarda leti prius semoti corripuit gradum. Eiusdem generis est Od. 2, 13, 14 Quid quisque vitet numquam homini satis cautum est *in horas*, ubi verba *in horas* pro adverbio sunt (stündlich), quod quidem adverbium utrique membro iungendum magis etiam requiritur in verbis *quid quisque vitet*, quibus id iungi vetuit Orellius, quam in verbis *numquam homini satis cautum est*, quibus iam additum sit adverbium temporis *numquam*.

Praepositionis aut coniunctionis exempla per syllepsin explicanda non suppetunt, nisi forte huc revocas Od. 3, 25, 2 quae nemora aut quos agor *in* specus i. e.

---

*) Haud scio an ad eandem syllepsin revocari possit illa ratio, qua adiectivis ac substantivis, saepius etiam verbis (carm. saec. vs. 22) connectuntur particulae *et que ve ne* hoc modo:

Od, 3, 11, 6 nunc et divitum mensis *et amica* templis; quod per syllepsin sic explicandum sit: et divitum mensis amica et amica templis.

De arte poetica vs. 178 semper in adiunctis *aevoque* morabimur aptis i. e. in adiunctis aevo aevoque aptis morabimur.

Od. 3, 1, 12 moribus hic *meliorque* fama i. e. moribus hic melior meliorque fama.

3, 11, 13 tu potes tigres *comitesque* silvas ducere i. e. tigres comites comitesque silvas.

2, 19, 28 idem pacis eras *mediusque* belli i. e. pacis medius mediusque belli. Nam quod Orellius ad hunc locum et Heindorfius ad Sat. 1, 6, 43 istam vocis iterationem, a Gesnero propositam, languidam esse dicunt eamque ne prosa quidem oratione tolerandam: id in quamvis fere syllepsin cadere arbitror. An Orellio minus languida visa est iteratio illa quam recte proposuit Od. 2, 6, 7: *sit modus maris et viarum lasso maris et viarum*? Quid vero proficimus, si Orellium secuti in illis exemplis non syllepsin agnoscamus, sed *poeticam transpositionem*? Meo quidem sensu nervosior est syllepsis eoque multis locis accommodatior, ut Od. 1, 30, 6 solutis Gratiae zonis *properentque* Nymphae, ubi *properandi* vis commode acuitur syllepsi, languidior fit transpositione; quemadmodum *perdendi* vis syllepsi augetur Sat. 2, 3, 182; *audendi* vs. 139; *mutandi* Od. 1, 5, 6: quoties fidem mutatosque deos flebit i. e. fidem mutatam mutatosque deos. Omnibus his locis verbum bis cogitari potest, licet idem bis positum non modo inelegans sit, sed iusto etiam ponderosius, quam ipsam ob causam poeta illud semel tantum posuit.

quae in nemora aut quos in specus agor; ubi plura eiusdem generis suppeditat Bentleius.

Postrema est syllepsis *verbi*, quod duobus enuntiationis verbis aut colis commune sit:

Sat. 1, 3, 10 saepe velut qui *currebat* fugiens hostem i. e. saepe currebat, velut qui fugiens hostem currit; ubi Porphyrio: « κατὰ σύλληψιν figuram *currebat* et *currit* absumptum. »

Sat. 1, 1, 24 Praeterea ne sic, ut qui iocularia, ridens *percurram* i. e. ne sic percurram, ut qui iocularia percurrit.

Cf. Plin. epist. 9, 22 amat ut qui verissime; dolet ut qui impatientissime; laudat ut qui benignissime; ludit ut qui facetissime.

Od. 2, 13, 1 Ille et nefasto te *posuit* die
Quicunque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, —

i. e. Ille et nefasto te posuit die quicunque primum te posuit, arbos, et (postea) sacrilega manu te produxit. Qui locus multos vexavit interpretes, syllepsis Horatianae parum memores. Recte Gesnerus: « Non difficile videtur post *primum* repetere *posuit*, ut Epod. 5, 87 *valent* antrorsus *) et retrorsus valet. Vid. Od. 2, 19, 28 et 32; Serm. 1, 3, 7 (10?). » —

Od. 1, 3, 19 qui siccis oculis monstra natantia,
Qui *vidit* mare turgidum —,

ubi ad priorem versum ex altero retrahendum est verbum *vidit*.

Iam ad locum accedamus varie illum quidem tentatum a multisque desperatum:

Epod. 5, 87 Venena magnum fas nefasque, non *valent*
Convertere humanam vicem —,

ubi ad prius enuntiationis membrum affirmans ex altero membro neganti retrahenda **) sunt verba *valent convertere* i. e. veneficia multum quidem valent, adeo ut confundant interdum ac pervertant fas ***) et nefas; at non possunt mutare conditionem mortalium idque efficere, ut nullas veneficae poenas luant. Haec verborum constructio, Lambino, Jahnio aliisque viris doctissimis probata, nuper tam dura visa est Orellio, ut novam inierit huius loci interpretandi rationem. Mihi vero non multo durior videtur constructio quam Schilleri nostri:

---

*) *antrorsus* adverbium, quo etiam Forcellinus usus est s. v. *retrorsus*, apud nullum, quod sciam, reperitur latinitatis auctorem.

**) Huius syllepsis (retractionis) exempla a Sophocle, Thucydide, Cicerone petita exhibet *Reisigius* in commentationibus criticis de Sophoclis Oedipo Coloneo vs. 583, quo loco hoc genus praecipue Horatianum esse indicat.

***) *magnum* dicit fas propter singularem illam vim ac potestatem, quam habet in hominum animis: Das für Andere eine Macht ist, nur nicht für euch — abacta nulla Veia conscientia vs. 29.

Vor dem Sclaven, wenn er die Kette bricht (sc. erzittert),
Vor dem freien Menschen erzittert nicht!

aut Taciti:

Ann. 12, 64 Agrippina, quae filio dare imperium (sc. quibat), tolerare imperitantem nequibat.

Ann. 13, 56 deesse nobis terra, in qua vivamus (sc. potest), in qua moriamur non potest. Cui quidem rationi illa possit comparari, qua Horatius (Sat. 1, 1) per syllepsin vel *zeugma* *) negandi pronomen *nemo* ita usurpavit, ut inde eliciendum in altero colo intelligi velit affirmandi pronomen *quisque*: »qui fit, ut nemo sua sorte contentus vivat, laudet diversa sequentes?« Quum hanc rationem tum simillimam, qua post *ne* supplendum sit *ut*, compluribus Taciti exemplis commode illustravit *Nicolaus Bachius* (T. II. p. LII. et 73), alioqui non satis circumspectus breviloquentiae Tacitinae interpres. **)

Acquiescamus igitur in illa Lambini interpretatione, praesertim quum nova Orellii plus etiam habeat offensionis. Orellius enim *magnum fas nefasque* non obiectum quod dicunt, sed subiectum esse ratus hanc eruit sententiam: leges divinae, quibus distinguitur fas et nefas, more modoque hominum (humanis sensibus) non valent commovere ad humanitatem et clementiam vos, sagae immanes: ergo ad religiones recurram dirisque vos exagitabo.« — Primum Horatius veneficarum animos non potuit dicere *venena*; tum vero, vel ex constanti ipsius consuetudine (cf. Bentl. et Orell. ad Od. 1, 24, 8), vel ambiguitatis devitandae causa singulari numero dicen-

*) in *syllepsi* unum idemque verbum bis intelligendum est, in *zeugmate* ex uno verbo alterum eliciendum, ut Epist. 2, 1, 153 lex poenaque *lata* i. e. lex lata poenaque irrogata; qua quidem grata orationis negligentia saepius utitur Horatius nervosae brevitatis amantissimus. cf. Od. 3, 10, 5 *audis*, 4, 4, 44 *equitavit*, Epod. 15, 18 infestus *turbaret*, unde eliciendum: lupus infestus *foret* vel *instaret*; Sat. 1, 3, 10 *currebat*, quo ex verbo in altero colo supplendum: persaepe *incedebat*. Quamquam haec quoque dicendi ratio interdum vel fugit vel male habuit interpretes, imprimis Bentleium, quem iure Orellius zeugmatis vocat osorem; velut Od. 3, 11, 19 vulgatam ille scripturam improbavit quum aliis rationibus inductus, quas egregie diluit Jahnius, tum zeugmate offensus quod cernitur in verbis: spiritus teter saniesque *manet* ore trilingui; etsi hoc quidem zeugma tam facile ac simplex est, vix ut zeugma dici possit, quum et latino et graeco sermone verborum *manandi*, *fluendi*, *fundendi* latissime pateat usus, nec ulla populis illis, qui ad mare habitarent, propior ac familiarior fuerit metaphora.

**) *Bachius*, ut hoc unum afferam, Hist. 1, 37 in verbis: et cuius lenitatis est Galba iam fortasse *promisit*: supplendum censet *lenitatem*, quum revera ex superioribus repetenda sint verba *quae postulantur*: Und vermöge seiner Milde (ironisch) hat Galba, was verlangt wird, meine Bestrafung und euren Tod vielleicht schon zugesagt, da er ja früher unaufgefordert so viele Tausende eurer Kameraden niedermetzeln ließ. Gravius etiam hoc in loco lapsus est *Schlueterus* qui pro verbo *promisit* suopte ut videtur ingenio edidit *promsit*: und wie milde Galba ist, hat er vielleicht schon gezeigt. Verum ita Tacito non indicativus (cuius — *est*), sed coniunctivus erat ponendus.

quam erat *valet*. — Ceterum in hoc epodo quinto etiamnunc multa sunt, quae accuratiore explanatione indigeant. Quae quum omnia excutere huius loci angustiae non sinant, pauca saltem, quae ad universum carmen pertineant, nostrae commentationi velut ἐπίμετρον adiicere liceat.

Ac primum quidem non assentior Kirchnero et Frankio, qui quinti epodi scenam non Romae sed *Neapoli* fuisse magna confidentia pronuntiaverunt (Quaest. Horat. p. 26 et 27, Fast. Horat. p. 129). Multo cautius Porphyrio, quem illi sententiae suae auctorem laudant, ad vs. 43 haec annotavit: »*Videtur* significare scelus hoc Neapoli factum; *nam* Gratidia (Canidia) haec Neapolitana fuit.« — Vides nec ipsum pro certo illud affirmare, neque causam, quam addidit, magni esse momenti. Quidni enim Canidia, quamvis Neapolitana, facinus illud Romae suscipere potuerit, qua in urbe cum Sagana venefica (vs. 25 cf. Sat. 1, 8) degere solebat? Certe Canidia illa ipsa nocte, qua scelus nefarium committitur, Dianam precatur, ut Varum adulterum allatrent *Suburanae canes* vs. 58, puer autem vs. 100 obscoenas anus ab *Esquilinis alitibus* *) aliquando dilaceratum iri sperat. Atqui Suburam et Esquilias Romae fuisse satis constat. Quamobrem quinti epodi scenam *Romae* fuisse tamdiu equidem credam, donec Kirchnerus et Frankius, quid de bestiis illis faciendum sit, demonstraverint.

Non magis mihi probatur quod iidem viri doctissimi, scholiastas et Heindorfium (ad Sat. 1, 8) secuti *Canidiam* eandem mulierem fuisse statuunt, quam poeta Od. 1, 16 palinodia sua placare studuit. Illam enim mulierem aetate floruisse vel ex principio palinodiae colligere licet: *O matre pulchra filia pulchrior*. Canidiam vero puer epod. 5 extr. inter obscoenas anus refert, eandemque poeta ipse Epod. 17, 47 anum vocat, Frankius anilem mulierem p. 130; Buttmannus autem Gratidiam ab ipsa canitie denominatam esse Canidiam haud inepte suspicatur. Kirchnerus quidem non serio vetulam cogitandam esse ait, quum Horatius idem illud obiecerit Lydiae Od. 1, 25, 9 quacum tamen postea in gratiam redierit Od. 3, 9. At Lydiam illo loco non *esse* anum, sed *fore* dixit: moechos anus arrogantes *flebis*, quum tibi flagrans amor *saeviet* circa iecur. Sed ut Kirchnero concedamus, non decrepitam anum fuisse Canidiam, certe quo tempore illam carpsit Horatius non iam puella fuit florida, sed aetate satis provecta. Etenim saepius iam partus vel edidisse vel simulasse perhibetur (Epod. 5, 5; 17, 52), eademque emptis atque insititiis dentibus uti dicitur Sat. 1, 8, 48. **) Nec hercle iuvenili eidemque pulchrae feminae ad senem Varum ***) alliciendum singularibus philtris atque incantationibus opus fuisset.

---

*) cf. Lipsii annotationem atque excursum ad Tacit. Ann. 2, 32.

**) Satiram octavam Kirchnerus uno anno, epodum 17 duobus annis post quintum epodum ab Horatio conditum esse statuit.

***) Hunc *Varum* Orellius ad Od. 1, 18, Jahnium secutus, haud dubie eundem esse Quintilium Varum existimat, quem Horatius Od. 1, 24 his verbis mortuum deflet: »Quis desiderio

Quodsi Canidia epodi quinti tempore non iam iuvenilis fuit puella, multo minus talis esse potuit quum palinodiam illam scripsit poeta, quod Kirchnerus sex annis, Frankius septem vel octo annis post epodum quintum factum esse censent. Quis igitur *Canidiam* fuisse credat puellam illam matre pulchra pulchriorem, quam palinodia sibi reconciliare studuit Horatius? Accedit quod Canidia ab Horatio tam graviter laesa fuit, ut poeta, qui feminarum animos optime cognovisset, amoris integrationem sperare non posset. Qua in re Kirchnerus parum apposite Canidiam comparavit cum Lydia et laesa et reconciliata. Lydiam enim Horatius Od. 1, 25 decrescentis tantum iuventae admonuerat, vix ullo probro graviore aut convicio usus. At Canidiam, ut Kirchneri verba in meam rem convertam, Canidiam acerbissimis contumeliis et conviciis horribili modo proseiderat, nec satis habuerat, magicas ei artes et veneficia ubique exprobrasse, sed eidem paternas sordes (Epod. 17, 46), impudicitiam (vs 40) et meretricium quaestum ex sordida plebe (20), ventris sterilitatem et simulatos partus (17, 50; 5, 5), pectoris saevitiam et inquinatas scelere manus (17, 49) obiecerat. — Nec vero privatis litteris ista in Canidiam effuderat, sed tota urbe ita eam diffamaverat, ut fabula ipsa fieret. Divulgata enim fuisse haec in Canidiam carmina non solum cum Kirchnero inde coniicias, quod ut de re nota loquatur poeta Epod. 5, 8, Sat. 2, 8, 95 et 2, 1, 48, sed Canidia id ipsa profitetur Epod. 17, 59:

Impune ut urbem nomine impleris meo?

Quae enim in hoc epodo 17 Canidia respondet Horatio, per ironiam acerbissime vellicanti, ea haud dubie ex intimo illius animo dicta sunt, nec ullam inter ipsos reconciliationem fieri potuisse satis declarant:

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.

Contra quae in palinodia (Od. 1, 16, 28) commemorantur opprobia in amicam coniecta eiusmodi fuerunt, ut possent recantari amorque in integrum quasi restitui. Namque iambos illos criminosos (1, 16, 2) non in vulgus editos, sed privatim ad amicam missos esse inde coniectare licet, quod Horatius puellam eos delere iubet sive flammis sive mari. Quid enim iuvaret comburi aut demergi iambos, si iam iisdem, ut conviciis illis in Canidiam editis, urbem implevisset poeta? Ac celeres *)

---

sit pudor aut modus tam cari capitis? — Multis ille bonis flebilis occidit; — cui Pudor et Justitiae soror, incorrupta Fides, nudaque Veritas quando ullum inveniet parem? — Hunccine igitur virum egregium et amicum dilectissimum a poeta coram populo inductum esse ridiculum senem (ita Orellius Varum appellat Epod. 17), scorta Suburana consectantem? Credat Judaeus Apella, non ego.

*) adiectivum *celeres* (Od. 1, 16, 24) Bothius et Orellius parum recte referunt ad conformationem iambi qui de art. poet. vs. 252 dicatur *pes citus*; quum poeta illo adiectivo prae-

illi iambi, quominus Horatio animum redderet puella, non multum obstabant, ut qui iuvenili quodam fervore fusi essent, non constanti illa et maligna saevitia, qua complures per annos carpserat atque usserat Canidiam. Canidiam igitur, ut animum sibi redderet, rogare nec potuit et fortasse noluit, quum id ipsum dubium videatur, num illam umquam amaverit; certe in carminibus Horatianis nullum eius amoris exstat indicium. At enim, inquit Kirchnerus, criminosos illos iambos non ad alia facile carmina quam ad Epod. 5 et 17 referre possis. Id vero me non movet, ut illos repugnante et rerum et personarum ratione ad ista carmina referendos ducam. An credis Horatium omnes omnino versus ad amicas missos in vulgus edidisse? Mihi quidem quam maxime probabile videtur, iambos illos nec publici iuris factos, et post palinodiam deletos esse, ut nulli iam nobis exstare possint. *)

---

cipitem potius declaraverit festinationem atque imprudentiam iuvenilem, in qua delicti quaedam inest excusatio, non in pedis mensura (übereilt).

*) Consulto etiam poeta, ut amicae coram populo parceret, nullo eam nomine appellavit in palinodia, quum plerisque carminibus amatoriis puellarum inseruerit nomina. cf. quae hac de re commode exposuit Duentzerus (p. 145 et 146), qui Grotefendium criminosos iambos ad *Neaeram* Epod. 15 retulisse tradit. Verum in Epodo 15 equidem non agnosco praecipitem illum fervorem ac furorem iuvenilem, quo se in celeres iambos missum esse confitetur in palinodia, sed tristem potius querimoniam de levitate atque inconstantia Neaerae, cuius amator ne praesenti quidem ira incensus est, sed iram minitatur futuram, si certus animum intraverit dolor (vs. 16).

